



Post hæc abiit Iesus trans mare Galiliæ, quod est Tiberiadis, & sequebatur eum turba multa: quia uidebant eius signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subiit autem in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem prope pascha dies festus Iudæorum. Postquam dominus locutus est Iudæis durioribus uerbis, quibus in inuidiam accedebatur & stomachabant, demulcet nunc eos secedendo, & abiit trans mare Tiberiadis. Mare autem dicit stagnum. Congregationes enim aquarum maria uocauit diuina scriptura. Et aliter: Descendit de loco in locum, probans multitudinis studium. Ignauiores enim manebant in suis locis, studiosiores autem sequebantur eum. Veruntamen uide quod etiam sequentes non propter doctrinam, sed propter corporaliū miraculorū utilitatē secuti sunt. Nam propterea dicit, quia uidebant signa quæ faciebat super his qui infirmabant. Meliores autem fiunt, & sapientiæ audiores. Obstupescabant enim inquit, in doctrina eius, quia docebat illos tanquam potestatem habens. Ascendit autem in montem propter miraculum futurum. Non enim arrogans erat, & uanæ gloriæ cupidus, ut in medijs ciuitatibus miracula operaretur: sed fugiens uanam hominum gloriam, solitudinē quærebat, etiam nos erudiens. Insuper uolens mystica quædam discipulis communicare, ascendit in montē: id quod semper solebat facere, quia & opus est, ut ab omni tumultu liberetur, & locum quærat ab omni strepitu purum, si quis talia loqui uelit. Erat enim prope (inquit) dies festus Iudæorum, nec tamen ascendit, sed in Galiliam ascendit: non enim ultra præceptis legalibus erat obnoxius, ut & festos dies legis perficeret. Et aliter: persequente ipsum malicia Iudaica, occasionem apprehendit ut paulatim legem abroget, ostendens animaduertentibus cessasse figuram ut aduenit ueritas. Obserua autem quod festum fuerit Iudæorum, non autem fuerit dies festus Christi.

Quum sustulisset ergo oculos Iesus, & uidisset quod multa turba ueniret ad se, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, ut edant isti? Hoc autem dicebat, tentans eum: ipse enim sciebat quid esset factururus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorū panes non sufficiunt eis, ut unusquisque pusillum quippiam accipiat. Dicit ei unus ex discipulis ipsius Andreas frater Simonis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinque panes ordeaceos & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tam multos? Quare dixit, quum sustulisset oculos suos: ut discamus quod non solitus sit hinc & inde uagari oculis: sed compositus & attentus sedere, utpote docens discipulos diuiniora quædam. Denique uidit discipulos, & rogat de turba quomodo alenda sit. Non aliū autem interrogat, quam *Ioan. 14.* Philippum. Ipse enim maiori indigebat eruditione, qui postea dicebat: Ostende nobis patrem ac sufficit nobis. & eapropter antea illum instruit, & per interrogationem inducit eum ut miraculi semper sit memor. Nam si quidem miraculum simpliciter fuisset factum, non usque adeo uisum fuisset illi miraculū: nunc autē priusquam fieret, illum compellit fateri paucitatem panum: ut euidentius addiscat futuri miraculi magnitudinem, & nō ē memoria reiiciat ea quæ confessus est. idcirco dicit: Vnde ememus ut comedāt hic? Dicit autē hæc tentans Philippum, uolens notū facere quam haberet ille fidem. Neque enim ut ignorans de sententia Philippi interrogabat, sed alijs monstrare uolebat. Nam ipse dominus sciebat quid factururus esset. Igitur ut tentauit Philippum nunquid haberet fidem, & inuento ipso adhuc affectum ut hominem: insuper & Andream quoque talem inuenit, tametsi sublimius quiddam Philippo sentiētem: illo enim dicente, quod ducentorum denariorum panes sufficiant, ille quinque panes ordeaceos & duos pisces *4. Reg 6.* commonstrauit. Etenim cogitans forte prophetarum miracula, & Elissæ in panibus signum, quum Samaria in extremam uenisset inopiam. Redarguitur tamen & Andreas, nihil dignum domino cogitans, dicit enim: Sed hæc quid sunt inter tam multos? Existimabat enim quod multiplicaturus quidem panes esset dominus: sed si essent plures, maior & multiplicatio futura esset: periculose omnia intelligens. Nam dominus etiam ex nihilo potuisset panes facere, qui turbæ sufficerent: attamen ne uideretur creatura non esse ex ipsius sapientia, ipsa creatura usus est in materiam miraculorum. & accipitis

acceptis quinque panibus, uti materia quadam, præclarum istud fecit miraculum. Confundantur Manichæi, dicentes quod panis & omnes creaturæ factæ sint à malo deo: & propterea si quis dederit eis panem, non accipiunt illum de manibus illius, sed procul qui-
dem illum abijci iubent: stantes autem, & maledicentes ei qui dedit, dicunt: Qui seminauit te, dispergatur: & qui pinsuit te, pinsatur carne: & similia. Confundantur itaque eruditores, quod boni dei filius Christus panes multiplicauit. Nam si mala fuisset creatura, beatus deus illam utique non multiplicasset, ut taceam interim quod & ipse panes comedit. Ceterum si interrogauerit quis, num idem sit hoc miraculum panum, cum eo quod apud Matthæum Matth. 14. describitur: dicimus certe idem est. Quamuis autem illic quidam discipuli accedunt, admonentes de turba ut dimittatur, hoc autem loco ipse Iesus interrogat unde pascatur, non opus est admirari. Verisimile enim est utrumque factum esse, & discipulos prius admonuisse dominum de turbis dimittendis, & nunc Philippum interrogatum esse à domino, unde alantur.

Dixit autem Iesus: Facite, ut homines discumbant. Erat autem gramen multum in eo loco. Discubuerunt uiri numero ferme quinquies mille. Accepit autem panes Iesus, quumque gratias egisset, distribuit discipulis: Discipuli uero discumbentibus. Similiter & ex piscibus, quantum uolebat. Ut autem impleti sunt, dicit discipulis suis: Colligite quæ superfuerunt fragmenta. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus ordeaceis, quæ superfuerant his qui comederant. Iussit eos facere recumbere, quasi parata mensa. Discipuli autem quamuis prius increduli, tamen alacriter recumbere faciunt homines. Erat autem gramen, quoniam uera erat. Erat enim inquit, pascha quod in primo mense ueris perficiebatur. Porro soli uiri numerantur ab Euangelista, qui legis sequitur consuetudinē. Etenim & Moses à uicesimo anno & supra, numerauit populum, nulla mentione facta mulierum: quo docetur omne quod uirile & iuuenile est, dignum censi ut numeretur apud deum. Et acceptis panibus gratias agit, ostendens quod ante cibum gratiæ agenda sint deo. Insuper quia turba erat, ideo coram turba gratias agit, ut omnibus persuadeat, quod secundum uoluntatem dei aduenit: & quod non sit aduersarius deo, sed omnia referat in patrem. Nam quando seorsim facit miraculum, nihil tale facit, etiam si maius quoddam faciat: quando autem coram multis miraculum operatur, tunc ad deum respicit. Ostendit autem, quod non ex infirmitate sanat, sed propter dispensationem quam diximus, ex eo quod maiora faciat autoritate quadam, & tanquam dominus. Dicunt insuper quidam, quod etiam propter hoc gratias egerit, ut ignoraretur à principe mundi usque ad tempus passionis, & ex hoc demon non cognosceret ipsum esse deum, sed deciperetur, & inescaretur, atque sic per crucem conficeretur. Ceterum permittit dominus, ut supersint tot fragmenta: non propter ostentationem, sed ne credatur per phantasmata satiatos esse homines: Appareat autem omnibus, quod uere satiati fuerint, quandoquidem tot residua fuerunt: atque propter hanc causam iussit & fragmenta colligi, ut uidentes ea, miraculi facti magis essent memores. Oportet autem non solum mirari quod superfuerint, sed etiam quod non plures neque pauciores, quam qui numero pares essent discipulis cophini reliquiari, ut omnes gesserint: & neque Iudas ipse expers relinquatur, sed habens etiam hoc miraculum, quod monstret sibi deum esse magistrum, inde utilitatem capiat: quamuis etiam hoc propter maliciam eius in condemnationem ipsius cesserit: eum enim qui tantas reliquias fecerat, de quibus & ipse cophinum portauit, prodidit. Non enim sine causa imperauit apostolis, ut cophinos gesserint: sed ut memores essent miraculi, utpote magistri orbis futuri. Nam multitudo quidem non magnam utilitatem perceptura erat: statim enim obliuisceretur miraculi. At discipuli non uulgare lucrum inde habituri erant. Discamus item ex hoc miraculo, ne pusillanimes simus in angustiis & paupertate, neque timidi simus in hospitalitate & communione: sed credamus, quod & si unum habeamus panem, illum multiplicaturus sit, qui ex quinque panibus tantum superesse fecit. Per allegoriam autem dominus, quando exiuit Hierosolyma, secundum quod in prophetis dictum est: Derelinqui domum meam, reliqui hereditatem meam: tunc sanè in Hier. 12.

Galilæa gentium uadit, Gentiles suscipiens, & turba illū magna sequitur. Ascendit autē in montē, hoc est crucem, ut ad se rapiat omnes, uel in coelū & honorē & gloriā deo dignū. Vt em̄ ascendit in celos et glorificari cœpit à nobis ut deus, & nō ut nudus homo, in montē ascendisse dicitur. Sublimis enim de illo opinio, mons est. Dat autē nobis, qui quinq; sensibus subiecti sumus, rationales panes quinq; quia & ipsi quinq; sunt, unicuique em̄ sensui cōuenientē panē dat, hoc est sermonē, sicut & Paulus dicit. Volo quinq; sermones in ecclesia loqui, qui quinq; sensuū ædificationi cōueniāt. Non possumus autē quinq; sermones integros comedere, sed ex eis abūdāt reliquæ. Nullus em̄ potest integros mysteriorū sermones capere, sed quæ nos capere & comedere, uipote carnales nō possumus, apostoli gestant quasi in quinq; cophinis suis iustis animabus. Cophini ex folijs palmarum sunt. Iustus autem ut palma florebit.

¶ Jai. 91.

Illi ergo homines, quū uidissent qd̄ Iesus fecerat signū, dicebāt: ga hic est uere ppheta ille, q̄ uenturus in mūdū. Iesus ergo quū cognouisset, quod uēturū essent, ac rapturū ipsū ut facerēt ipsum regē, secessit iterū ipse in montē solus. Vide gulā uulgi, quū fecit Iesus innumera miracula, & mirabiliora, nō admirantē, & ecce ppter cibū dicit: Hic est ille ppheta. nō amplius eū de sabbati uiolatione arguit, nō ultra legē uindicat: sed adeo illū ppter panes colūt, ut & eū nō solū prophetā prædicent, sed & dignū regno censeāt. At ille fugit, erudiēs nos mundanas cōtemnere dignitates. Secedit autē in montē ipse solus nullo discipulorū assumpto, quo illorū probaret desyderiū, num ferret sui absentiam.

At ubi iam uespera esset, descenderūt discipuli eius ad mare: & conscensa nauī, uenerūt traiecto mari ad oppidū Capnaū. Iamq; tenebræ erāt, nec uenerat ad eos Iesus. Mare autē uēto magno flāte, intumescēbat. Quū remigassent ergo ferme stadia uiginti quinque, aut triginta, uidēt Iesum ambulantē super mare, & appropinquātē nauī, ac timuerūt. Ille autē dicit eis: Ego sum, nolite timere. Voluerūt ergo recipere eū in nauim, & illico nauis appulerat terræ ad quam ibant. Dominus quidem ascendit in montē solus, ut (sicut diximus) probet desyderiū discipulorū. At illi expectabant usq; ad uesperā uenturum ipsum, & quum non ueniret, non tolerabant, sed desyderio quærendi illum accensī conscendunt in nauim. Non enim temere & forte Euangelista tempus manifestauit, sed per hoc uehementē illorum charitatē declarauit, quod neq; uespera eos retinuerit. Permisit autē eos tempestate periclitari, ut facta post tempestatē tranquillitate miraculo magis lætarentur, & inobliterata memoriā sui, illorum pectoribus insideret. Assisit autem illis quum tempesta esset, & sermone timorem eiiciens, & tranquillitatem in mari faciens, duplicem serenitatem operatur, sedando tam animarum quā maris turbationē. Porro in nauem non ascendit, miraculū maius facere uolens. Vide enim tria miracula: unum quod ambulauit super mare, secundum, quod destrauerit fluctus: tertium, quod statim nauim fecerit esse in terra in quam ibant, quamuis multum abesset à terra quum assisteret ei dominus. Igitur transiuerunt quidem Iudæi mare rubrum duce Mose. Verum ille ut seruus omnia faciebat, & prædicabatur: at hic omni cum potestate. Et illic flante uento cedebat aqua, ut quasi in arida daret transitū: hoc autem loco maius miraculum fit: Manens enim in sua natura mare, in superficie sua ferebat dominum, ut impleretur propheticum: Qui ambulat super mare ut super pauimentum. Multi autem & nunc sumus in spiritalibus tenebris, & periclitamur in spiritali mari submergentes: sed excipiamus Christū, & omnino à periculis saluabimur. Et quāuis sæpe tumultus excitēt nobis quidā, uel diaboli, uel homines, tentātes nos, & per terrores moliētes nos cōcutere: audiamus tamē Christū clamantē: Ne timeatis, ego sum. Quod autem dicit, hunc habet sensum. Terribilia quidē prætereunt: ideo ne timeatis ea quæ prætereunt: ego autē sum, hoc est semp̄ manens, & sum sicut deus ille, qui est. Itaq; quia terribilia quidem temporaria sunt, & non uere sunt: ego autem sum, hoc est maneo, & nunquā prætereo, & uere sum, ne p̄datis uestrā in me fidē propter tēporalia. Vide autē obsecro, quomodo nō statim ab initio periculi, sed in seruire apparet Christus, et soluit metū. Sinit enim nos in medijs esse periculis, ut quum certauerimus in tribulatione, & pressi fuerimus, probatiores fiamus: & ut quū mouerimus omnem nostrā uirtutem & sapientiā

sapientiam, inuenerimus que eam infirmam, ad illum confugiamus solum, qui ex inexpectatis saluare poterit. Nam quum humana mens fatigata fuerit, tunc diuina salus repente subuenit, ac parat nos, ut ad illum solum fugiamus, qui saluare potest, & non nobis ipsis ascribamus salutē. Si uouerimus autem & nos in nauim nostram suscipere Christum, hoc est habitationē dare Christo in corde nostro, statim inueniemur in terra in quam abimus. Quæ autem terra ista est? uel omnino terra promissionis cœlum, quæ terra mitium, & eorum qui liberati à malitia in pace uiuunt.

Postero die turba, quæ stabat trans mare, ut uidit quod nauicula alia nō esset ibi, nisi una illa in quam ingressi fuerant discipuli eius, & quod non introisset Iesus cum discipulis suis in nauiculam, sed soli discipuli eius abissent. Aliæ uero superuenerunt nauiculae à Tiberiade iuxta locum, ubi comederant panem postquam gratias egisset dominus. Quum ergo uidisset turba, quod Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt & ipsæ in nauiculas, & uenerunt Capernaum, quærentes Iesum. Et quum inuenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc uenisti? Respondit eis Iesus, & dixit: Amen amen dico uobis, quæritis me, non quia uidistis signa, sed quia comedistis de panibus, & saturati estis. Iesus quidem pedestri itinere super mare abiit in regionem quæ trans mare. Turbæ autē die postero quæsiuissent illū, & uidissent quod una tantum nauis affuisset, in quam ingressi fuerant discipuli, & non Iesus ipse, cogitauerunt apud se hoc miraculum, & suspicati sunt, quod mare pedes transierit. Nam si quidem & alia affuisset nauis, uerisimile potuisset eos cogitare, quod cum discipulis non nauigaret, sed in aliam ingressus transfretaret. Nunc autem quum una tantum fuerit, quæ discipulos solos & non dominum exceperit, manifestum est miraculum. Igitur turbæ hæc intellexerunt: & postquam inuenerūt alias naues quæ traiecerant, ascenderunt in illas, & in Capernaum transfretarunt. Illic autem inuento domino non supPLICANT & rogant, ut discant quomodo transierit, neque quærent de hoc signo, sed remissè dicunt: Quomodo huc uenisti? Nam qui quærebant illum rapere & facere regē, inuento eo nihil tale deliberant: sed abiecto miraculo inquirunt magis frui mensa, quæ & prius: eapropter exprobat eis dominus. Quæritis enim me (inquit) eo quod de panibus comedistis, & ideo mei tenemini desyderio, ut iterū uobis mensam parē. Obserua autē, qd̄ quamuis redarguat eos, nō tamē dura utitur reprehensione. Nō enim dixit: o mancipia uentris & gulosi: sed cū mansuetudine corrigere uolens, arguit illos, iterum per hoc quod detegit occulta cordis illorū, ad maiorem illos adducere uolēs fidē. Quod autem emendatio illorum fuerit reprehensio, manifestum ex sequentibus. Vtilissimam enim eis doctrinam facit & dicit:

Operemini non cibum qui perit, sed qui permanet in uitam æternam. Quem filius hominis dabit uobis, hunc enim pater consignauit deus. Vos quidem (inquit) quæritis me propter panes, quia cibum illum desyderatis. Oportet autem uos non omnino deditos esse uentri, sed maxime spiritualium agere curam, & non omnem sollicitudinē in corporalem cibum infumere. Nam illum uocauit cibum qui perit. Nam quia multi cupientes ignauī uiuere, & maxime Masseliani, qui usi sunt hoc dicto ad patrociniū suæ ignauitæ, opere precium fuerit declarare hoc dictum. Non enim hoc dixit dominus nos Iesus Christus, ut corporalem quidem operationem ab eis uelit amouere, & ipsos ad ociū cogere. Omnē em̄ maliciā docuit ociositas: & si oportet euidenter dicere, ipsum ociose uelle uiuere, cibus est qui perit: & ita eum qui Christū sequitur, oportet operari, ut habeat quod & alijs communicet, hoc enim habet mercedē & promissionem futuri regni. Et quomodo igitur, inquit, dicit dominus, quod non oporteat operari cibum qui perit, continuum circa cibos studium reiiciens, & ad spiritualia non parum inducens: Profecto dicunt, per hoc dominus corporalem operationem excludit: id quoque manifestum ex hoc quod ad Martham dicit: Martha sollicita es & turbaris, uno autem opus est, Maria bonā partem elegit. Et iterum: Ne solliciti sitis in crastinum. Et hæc quidem afferunt hi qui per ignauitā pasci uellent. Nos autem quid dicimus? Dictum ad Martham nō de opere est, & operatione, uel ocio, sed de tēporis obseruatione: & ne tempus

audiendi infumatur in occupationes parandorum ciborum. Persuadet igitur ei, ne perdat tempus doctrinae frustra propter occupationem in his quae uentris. Quod autem dicit, ne solliciti sitis: neque hoc dicto operationem reiecit. Aliud enim sollicitudo est, & aliud operatio. Fieri enim potest, ut sollicitus non sit qui operetur. Docet igitur nos dominus, ne addicti simus curis uitae, neque habeamus curam quomodo cras refocilemur, & uult ut unoquoque die operemur, dicēs: Ne solliciti sitis de crastino, quasi in hunc modum dicere: Ne solliciti sitis, quomodo hodie operando cras quiescatis: sed quotidie cibum quotidianae operatione parantes, ne solliciti sitis de crastino. Cibum autem manentem, mysticam dicit sumptionem carnis domini, quam nobis ipse dat filius hominis factus. Quem pater ob signauit, hoc est ostēdit & cōfirmavit quod sit filius suus, & ipse quidē Christus ostendit se per miracula: sed quia cum iudeis loquitur, ut ne turbetur, ad patrem recurrit, & dicit ab illo se signatū esse, hoc est monstratum & testimonijs cōfirmatū esse: quia & imago est patris filius, & signaculum & character. Intellige ab illo hunc signatum, si cut imago sigillum est, & ita se habet quod dixit. Hunc enim qui uidebatur filius hominis, signauit pater: hoc est signaculum suum & imaginem genuit, quae haberet in se omne quod ipse habebat, & naturalem cum ipso identitatem.

Dixerunt ergo ad eum: Quid facimus, ut operemur opera dei? Respondit Iesus, & dixit eis: Hoc est opus dei, ut credatis in eum, quem misit ille. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, ut uideamus & credamus tibi? quid operaris? Quærunt iudei discere opus dei: non ut hoc faciant, sed ut occasionem apprehendant. Dominus autem quamuis sciret eos nullam utilitatem percepturos, respondit tamē per doctrinam communem omnibus, & ostēdit eis, imō omnibus hominibus, quod hoc sit opus dei, credere in eū quē ille misit. Nā fides erga illū, opus profectio est sanctū & perfectū, & sanctificās eos qui illā habent. Dux enim sit diligens fides ad omnem bonam operationē, & bona operatio conseruat fidē. Nam & opera sine fide mortua sunt, & fides sine operibus. Vide autē ingratitudinem insensatorum. Signum iterum quærūt, quamuis tanta & talia uiderint, & maxime panum quibus saturati fuerant. Vere galtrimagi qui iterum signum tale quærunt, quod uentri prodesset: & quod hoc sit uerum, manifestum est ex sequentibus.

Iaco. 2. Patres nostri manducauerūt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de coelo dedit eis ad edendum. Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico uobis, non Moses dedit uobis illū panē de coelo, sed pater meus dat uobis panē de coelo uerū. Panis enim dei est, qui de coelo descendit, & dat uitā mundo. Dixerunt ergo ad eū: Domine, semper da nobis panē istū. Non frustra diximus, quod uentri seruiētes quærebant signū, quale erat signū panū. Ecce & manna mentionē faciūt, & non alterius miraculi, uel in Aegypto, uel in mari rubro. Volētes enim incitare eū, ut & ipse tale signū faceret, quod carnaliter pascerent, recordantur manna propter immodicā gulā. Quid igitur immensa dei sapientia dominus noster Iesus Christus respōdet eis? Non Moses dedit uobis panē, hoc est uerū panē non dedit uobis Moses, typi enim fuerūt eorum quae nūc fiūt. Moses enim figurā habebat dei ueri, spiritaliū Israelitarū ducis. Panis autē ille figura est mei, qui de coelo descendi, & uere pasco & uere sum. Cæterū dicit seipsum uerū panem: non quod manna falsum fuerit, sed quia illud figura fuit & umbra, non ipsamet ueritas: proprie enim māna unigenitus filius dei factus homo, uerbū, & auditio obstupefcere faciēs. Nā manna interpretat quid hoc. Iudei enim uiso illo, quod deplutū esset cumulatim ante cuiusque tabernaculū, obstupefacti insolito & peregrino spectaculo, interrogabāt se inuicē, quid hoc? Dominus igitur factus homo filius dei, ipse est manna, quod stupefacit omnes ita ut dicant, quid hoc? Quomodo filius dei & filius hominis? quomodo ex duobus diuersis una persona? quod hoc mysterium? Hic igitur panis uita secundum naturam existens, utpote uiuentis patris filius, facit quod sibi proprium. Viuificat enim omnia. Igitur sicut qui ex terra panis infirmam naturam carnis continet, non sinens illam corrumpi: ita & Christus per spiritus operationem animam uiuificat, atque etiam ipsum corpus in incorruptione cōseruat. Per Christum enim humanae naturae concessa est resurrectio ex mortuis, & incorruptio corporum. Sed iudei adhuc dediti uentri, & toti terreni de sensibili pane intelligunt di-

Et dicunt: Da nobis semper panem hunc. Sic igitur stulte loquentes redarguebantur, & dicunt semper: Da nobis panem hunc, non ad unum uel ad duos dies. Hoc autem præ avaritia dicebant. Ut enim non opus sit multa impendere in cibos, dicunt: Da semper hunc facile parabilem panem.

Dixit autem eis Iesus, Ego sum panis uitæ: qui uenit ad me, non esuriat: & qui credit in me, non sitiet unquam: sed dixi uobis quod etiam uidistis me, nec credidistis. Omne quod dat mihi pater, ad me uenit: & qui uenerit ad me, non eijcio foras: quia descendi de cælo, ut faciam non quod ego uolo, sed quod uult qui misit me.] Quum Iudæi, ut pote terreni, de sensibili pane Christum loqui putarent, & propter hoc urgerent, & quærent, redarguens eos dominus monstrat quod quandiu sensibilem panem expectant, accurrant: quando autem discunt, quod spiritualis sit, non ultra accurrant. Unde dicit: Ego sum panis uitæ. Non dixit autem, panis alimonie: sed, uitæ. Nam quum omnia mortificata essent, uiuificauit nos per semetipsum Christus, qui est panis, eo quod fermentum humanæ consperfusionis credimus coctum esse igni deitatis. Panis autem uitæ non huius solitæ, sed immutatæ, & morte non deficientis. At qui credit in illum panem, non esuriat, neque famem feret audiendo sermonem dei: neque sitiet spiritualem sitim, eo quod habeat aquam baptismi, & sanctificationem spiritus. Nam qui non baptizatus est, sitim patitur & magnam ariditatem, expers aquæ sanctæ refrigerantis. Baptizatus autem spiritum habet, per quem semper refrigeratur. Ostendens autem quod fides, quæ in Christum, non uulgaris quæpiam res sit, sed donum dei dignis & rectis corde à patre datum, dicit quod omne quod dat mihi pater, ad me uenit, hoc est illi credent in me, quos dat mihi pater. Vos autem Iudæi, quum indigni sitis, non damini mihi à patre: propterea neque uenitis ad me, neque habetis rectum cor, ut uos diligens deus & pater ducat ad meam fidem. Ego autem eum qui uenit ad me, non eijciam foras, hoc est non perdam, sed saluabo, & magna cura illum refocillabo. Descendi enim de cælo, non ut aliud quiddam faciam præter uoluntatem patris. Cæterum hæc dicit, ut discant non esse aduersarium uoluntati patris: quia enim illum aduersarium dei dicebant, ipse crimen in illos uertit, tametsi non manifeste, & dicit: Vos estis aduersarii dei qui me non recipitis, qui facio uoluntatem patris. Vbi est Nestorius hoc loco, qui dicit quod post resurrectionem deificatus sit Christus? Non audis miser, quod descendit de cælo? Iam qui de cælo descendit, non utique nudus erat homo. Nudus enim homo non descendit: sed si quidem ascendit in cælum, hoc illi concedit propter uirtutem deus. Solius domini descendit præuenit ascensum. Ipse igitur & descendit de cælo sicut deus, quandoquidem incarnari dignatus est: & ascendit in cælum cum carne, ut homo scilicet, ubi erat prius ut deus. Non igitur nudus homo Christus postea deificatus, sicut delirabat Nestorius, sed deus ante secula, incarnatus nouissimis temporibus.

Hæc est autem uoluntas eius qui misit me patris, ne quid perdam ex omnibus quæ dedit mihi, sed ut resuscitem illa in nouissimo die. Hæc est autem uoluntas eius qui misit me: ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.] Subinde ponit, Dedit mihi pater: ut perstringat corda illorum, & agnoscant se dei munere indignos. Nam si pater dat ut magnum quiddam, dignam in Christum fidem: ipsi autem illam non habent, manifestum est, quod dono dei exciderint. Igitur ego (inquit) non perdam quos dat mihi pater, hoc est eos qui credunt mihi: sed resuscitabo illos, hoc est in resurrectione claritate illos dignabor. Duplex enim est resurrectio: una quidem communis & generalis, qua omnes etiam peccatores resurgunt: altera, qua soli iusti assumuntur in occursum domini in aëra, & prius cum magna fiducia domino occurrunt. Hanc autem resurrectionem Paulus ἐγερσις, hoc est exurrectionem nominat, propter eleuationem à terra. Peccatores enim resurgent quidem ex sepulchris in terram, de terra autem non exurgent in aërem. Infra enim manebant sicut condemnati. Atque ita iusti resurgunt & exurgunt, qui rapiuntur in nubibus in occursum domini in aëra. Peccatores autem resur-

gunt tantum. Porro dominus interpretans quid sit, omne quod dedit mihi pater, dicite eandem sententiam alijs uerbis, ut omnis qui uidet filium, & credit, habeat uitam æternam. Nihil enim aliud dicit, quàm id quod dixit superius. Nam hoc quidem, omne quod dedit mihi pater, idem est cum illo, qui uidet filium & credit. Hoc autem quod dicit, non perdam, idem est cum eo quod dicit, habet uitam æternam. Sæpe autem memor est resurrectionis, ut persua-deat hominibus ne ijs solum quæ uidentur, dei prouidentia circumscribāt, sed sciant esse & alium statum, in quo absq; dubio fruituri sint remunerationibus uirtutis. Quamuis nunc non sit perspicua in hac uita retributio, & propterea non connectitur cum uirtutis cursu.

Murmurabant ergo iudæi de illo, quod dixisset: Ego sum panis ille, qui de coelo descendit. Et dicebant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quid ergo dicit hic, de coelo descendit? Respondit ergo Iesus, & dixit eis: Nolite murmurare inter uos: nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eū, & ego suscitabo eū in nouissimo die. Murmurabāt igitur iudæi dicēte domino, ego sum panis. Nam hucusq; quidē existimabāt de pane sensibili eū loqui, & mansuete ipsum ferebāt, sperātes qd daturus esset panē hūc, uentri ipsorū gratificaturus: nūc autē quia reuelauit eis, quod nō de sensibili pane, sed spiritali sermonē haberet, contēpto illo murmurant. Vbi enim illi intelligerēt spiritalē cibū, & uitā, & resurrectionē? Scandalizabant itaq; in eo, uidētes eius matrē, audiētes autē dicētem, de coelo descendit. Igitur nō intelligētes qd ipse esset deus, sed in hoc respiciētes quod apparebat, murmurabant ut cōtumeliosi cōtra dominū, & dicebāt: Nonne hic est filius Ioseph? Ipse autē saluator nō respondit eis: Nō sum filius Ioseph. Nō em̄ poterāt intelligere panē ineffabilē, qui ex uirgine. Et quia nō capax fuit mēs illorū natiuitatis secūdū carnē, multo minus ei⁹ quæ ante secula ex patre. Quid autē respondet eis? Nullus potest uenire ad me, nisi pater traxerit eū. Hoc autē dicit, nō ut libertatē tollat arbitrij, absit: sed ut ostēdat qd multa habet opus cooperatione à deo is, q̄ crediturus est. Et aliter: Illos trahit pater, q̄ habēt uolūtatis aptitudinē. Eos autem qui seipsos nō faciunt idoneos, non trahit ad fidē. Nā sicut magnes non omnia, sed solū ferrū attrahit, ita & deus ad omnes quidē appropriat, eos autē qui magis idonei & familiaritatē erga ipsum præ se ferūt, trahit. Igitur pater quidē trahit, & adducit ad filiū. Filius autē resuscitat & uiuificat, in bonis uitā & sp̄sationē, hoc est spiritalē tribuēs. Itaq; sancta trinitas benefacit ijs, qui credūt: & nō pater solus uel fili⁹ solus, sed sicut una natura, ita una operatio beneficētiæ patris adducētis, filij uiuificātis, spiritalē qui sit ijs qui uiuificant, p̄ sp̄satione. Omnis enim qui uiuit, & sp̄sationem habet. Vide autem auctoritatem filij. Ego (inquit) suscitabo. Nō dixit enim, pater meus suscitabit: sed, ego. Non enim per omnia humilia loquitur, sed nōnunquā sublimia suæ deitatis detegit.

Esai. 54. Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docti à deo. Omnis ergo qui audit à patre, & didicit, uenit ad me: non quod patrē uiderit quisquam, nisi qui est à deo, hic uidit patrē. Amen amen dico uobis, qui cōfidit mihi, habet uitā æternā. Dixit superius, qd is quē pater traxerit, ad me uenit. Volens autē hoc docere & cōfirmare, in prophetas refert sermonem. Est enim, inquit, scriptum in prophetis: Erunt omnes docti à deo. Omnes autem qui uoluerint uidelicet. Communis enim doctor pater per reuelationē notum facit dignis filium suum. Tangit enim corda simplicium & dolo carentium, sicut & Petro reuelauit se. Igitur qui audit à patre, hoc est qui patris reuelationem accipit, & discipulus illius uere efficitur, & reuelationē suscipit, hic uenit ad me. Vide autem, quomodo cum diligentia loquitur omnia. Nō enim dixit, qui audit à patre, ille uenit ad me: sed addit, & didicerit. Non enim sufficit audire, sed oportet adesse & discere. Quid igitur nunquid in ueteri non fuerunt docti à deo? Fuerunt quidem, sed non sic. Hic enim excellentia est, in nouo dico testamento. Nam quidam discebāt per homines de deo. Nūc autem unigenito incarnato ab ipso patre in sancto spiritu scientia fit, ut ita impleat propheticum dictum: In lumine tuo, patris scilicet, hoc est spiritu, uidebimus lumē, quod est filius. Merito nunc omnes docti sumus à deo, qui fidem in Christum suscepimus. Quia autem dixit, qui audit à patre, ille uenit ad me: ut ne quis suspicetur quod de carnali patre

tre dicat, inquit: Nō hoc dico, quod uideat quis patrem, nisi filius, qui uere ex illo est, & natus ex substantia illius. Nam omnes quidem ex deo sumus, sed proprie filius unus est qui & patrem nouit.

Ego sum panis ille uitæ. Patres uestri comederunt manna in eremo, & mortui sunt. Hic est panis qui de celo descendit, ut quis ex ipso edat, & non moriatur. Ego sum panis uiuus, qui de celo descendi: si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uitæ.] Comparat cum manna alimoniam, quam ipse dat. Nam ego quidem (inquit) sum panis uitæ. Verum qui comederunt manna, mortui sunt. Non absq; causa autem addit, in solitudine: sed uolens monstrare, quod non ualde diu datum fuerit patribus manna, sed tantum in solitudine, & nō cōtigerit eis in terra promissionis. Verum hic panis non est talis, sed perpetuò durans: & ita Iudæi multo plura bona accepturi erāt, si quidē uoluissent, quā patres sui: quomodo autem nō maiora quæ dantur à Christo? Nam & si quis gustauerit mortem, uiuit tamē propter spem resurrectionis. Manifeste autem nobis hoc loco de mystica communionē corporis sui dicit. Nam panis (inquit) quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uitæ. Porro potestatem suam indicans, quod non ut seruus & minor patre crucifigendus sit, sed uoluntarie (inquit) ego dabo carnem meam pro mundi uitæ. Nam quamuis & à patre dicatur esse traditus, attamen & seipsum tradidisse dicitur: & illud quidem est, ut discamus eius cum patre concordiam, hoc autem ut liberam uoluntatem filij non ignoremus. Attende autem quod panis, qui à nobis in mysterijs manducatur, non est tantū figuratio quædam carnis domini, sed ipsa caro domini. Non enim dixit, panis quem ego dabo, figura est carnis: sed, caro mea est. Transformat enim arcanis uerbis panis ille per mysticam benedictionem, & accessio item sancti spiritus, in carnem domini. Et ne quem conturbet, quod credendus sit panis caro. Etenim & in carne ambulante domino, & ex pane alimoniam admittente, panes ille qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ eius carni, & in augmentum & sustentationem conferebat, iuxta humanum morem. Igitur & nunc panis in carnem domini mutatur. Et quomodo, inquit? non apparet nobis caro, sed panis, ut non abhorreamus ab eius esu. Nam si quidem caro apparuisset, insuauiter affectu essens erga communionem. Nunc autem condescendente domino nostræ infirmitati, talis apparet nobis mysticus cibus, qualibus alioquin assueti sumus. Pro mundi autem uitæ carnem suam ad mortem dedit, moriens enim mortem soluit. Intellege autem per uitam mundi & resurrectionem. Mors enim domini generalem resurrectionem toti hominum generi operata est. Fortassis autem & in sanctificatione, & in beatitudine uitæ, mundi uitam nominauit. Nam quamuis non omnes acceperunt sanctificationem & uitam in spiritu, dominus tamen seipsum pro mundo dedit, & quantum in ipso erat, mundus seruatus, natura quæ sanctificata est, eo quod accepit uirtutem uincendi peccatum per unum hominem dominum nostrum Iesum Christum, sicut & per unum peccatum Adam ceciderat.

Decertabant ergo Iudæi inter se, dicentes: Quomodo hic potest nobis dare carnem suam ad edendum? Dixit eis Iesus: Amen amen dico uobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam: & ego suscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus.] Iudæi quum audiissent de esu carnis illius, discredunt. Ideo & uerbum incredulitatis dicunt, quomodo? Nam quando cogitationes incredulitatis ingrediuntur in animam, ingreditur simul quomodo. Propterea ipse uolens hoc ostendere, quod non sit impossibile, sed & ualde necessarium: & non potest aliter haberi uita, nisi meam carnem comedatis &c. Ita & Nicodemus ex incredulitate dicebat: Quomodo potest homo intrare in uentrem matris? Oportet igitur nos quum audierim

mus, nisi ederitis carnem filij, non habebitis uitam in sumptionibus diuinorum mysteriorum, indubitata[m] retinere fidem, & nō quærere quo pacto. Nā animalis homo, hoc est qui sequitur cogitationes humanas & animales, non est capax eorum quæ sunt super naturam & spiritualium. Atque ita & spiritualement esum carnis dominicæ non intelligit: cuius qui non sunt participes, non erunt participes æternæ uitæ, eo quod non susceperūt Iesum, qui est uita æterna. Non enim nudi hominis caro est quæ manducatur, sed dei: & quæ deificare ualet, utpote contemperata deitati. Ista etiam uere est cibus, eo quod nō ad paruum tempus duret, neque corrumpatur, sicut corruptibilis cibus, sed æternæ uitæ sit subsidium. Similiter & potus sanguinis domini uere est potus: quia nō ad tempus sufficit siti, sed semper absq[ue] siti conseruat: nec indigere permittit bibentem, sicut & ad Samaritanam dicebat: Qui bibit ex aqua quam ego dabo, nō sitiet. Nā quisquis gratiam sancti spiritus per sumptionem diuinorum mysteriorum suscepit, neque famem spiritualement, neque sitim patietur qualem increduli.

Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me uiuens pater, ita & ego uiuo propter patrem. Et qui edirit me, & ipse uiuet propter me. Hic est panis qui de cœlo descendit: non sicut comederunt patres uestri manna & mortui sunt: qui edidit hunc panem, uiuet in æternum.] Hoc loco discimus sacramentum communionis. Nam qui edit & bibit carnem, & sanguinem domini, in ipso manet domino, & dominus in ipso. Contemperatio enim fit noua & super rationem, ita ut sit deus in nobis, & nos in deo. Non audis terribilem auditum, non deum nudum manducamus, tangi enim nequit & incorporeus est, & neque oculis, neq[ue] manibus apprehendi ualet. Iterum nudi hominis caro nihil prodesse potest: sed quia deus uniuert sibi carnem secundum ineffabilem contemperationem, uiuifica est & caro: non quod in dei naturam transierit, absit: sed ad similitudinem candentis ferri, quod & ferrū manet, & ignis ostendit operationem. Sic igitur & domini caro manens caro, uiuifica est, sicut dei caro. Igitur quemadmodum ego (inquit) uiuo propter patrem, hoc est sicut natus sum ex patre, qui est uita: ita & qui manducat me, uiuet propter me, dum quodammodo miscetur mihi & transelementatur in me, qui uiuificare potest. Quando autem audis, Ego uiuo, ne existimes eum iuxta participationem uitæ uiuere, alioqui animal diceretur deus, sed non est: neque enim deus animal nominatur, neq[ue] creatura quædam uita uocabitur. Sæpe autem & multū in ore uersat, Patres uestri comederūt manna in solitudine: ut persuadeat hominibus. Nam si possibile quadraginta annis sine messe & semente pasci homines, & conseruari illorum uitam: multo magis nunc conseruabit nostram spiritualement meliori pane dominus carne sua, quæ absque semine uitæ ex uirgine constituta. Vbiq[ue] autem uitæ meminit, & crebro hoc nomen addidit: quia nihil ita suaue hominibus, ut res illa. Igitur & tu potes non solum secundum mysticam communionem comedere & bibere carnem & sanguinem domini, sed & alio quodam modo. Et enim & carnem quidem manducat aliquis, quando per practicen incedit. Caro enim operatiua est, sicut & practice laboriosa. Sanguinem uero bibit ut uinum, quo cor lætificatur contemplatiui. Labore enim caret contemplatio, immo & laborum requies est: & potui similatur, quia & potus minori labore eget quàm cibus.

Hæc dixit in synagoga, docens in Capernaum. Multi ergo his auditis ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sciens autem Iesus apud semetipsum, q[uo]d murmurabāt de hoc discipuli ipsius, dixit eis: Hoc uos offendit. Quid igitur si uideritis filiū hominis ascendentem eō ubi erat prius? Quare in synagoga docuit partim quod uolebat uenari multitudinem, partim quod ostendebat se non esse contrariū legi, quæ legebatur in synagogis. Quare autem tales sermones in medium proferebat, quamuis sciebat nullum inde utilitatem percepturum, sed multos etiam inde magis offendit. Nam & discipuli eius his auditis, dixerunt: Durus est sermo hic, quis potest illum audire? Igitur quod lucrum ex his uerbis? Imò plurimum & maximū. Nam, quoniam memores erant subinde cibi corporalis, ostendens eis quod omnia illa figura fuerint ex umbra: quæ autem ab ipso nunc introducuntur, ueritas sint: eius gratia hæc dicit:

dicit: & spiritualis cibi recordatur, ut faciat eos à sensibilibus aliquantum remergere, contemnereq; figuras & umbras, & accurrere ad ueritatem. Sed illi quū nihil possent intelligere quod supra sensum, meliores non fiunt, sed magis resiliunt, & dicunt: Durus est sermo hic, hoc est, asper, & qui suscipi nequeat. Quis enim quū carnalis sit, posset suscipere spiritualem cibum & panem qui de cœlo descendit, & carnem quæ comeditur: Quando autē audis, quod discipuli eius recedunt, ne intellexeris eos, qui uere sunt discipuli, sed eos qui sequebantur in ordine discipulorum, & uidebantur figuram quidam gerere discipulorū, quū docerent ab eo. Etenim & inter discipulos erant quidam, qui ad reliquā turbā collati, dicebant eius discipuli. Manebāt enim apud eum longiore tempore, quā turbæ. Ad alios autem ueros discipulos collati, nullius erant momenti, eo quod ad tempus credebant ei, & frigidus quodam (ut sic dicam) calore. Vide autem insipientiā illorū. Nā debebāt interrogare & discere ea quæ ignorabāt: at illi resiliēbāt, & nihil spiritualiter exponebant, sed omnia ut uidebant. Nam quia carnem audierant, putabant quod eos carnis & sanguinis fieri cogeret deuoratores. Quia autem nos spiritualiter intelligimus, neq; carnū uoratores nō sumus, imò sanctificamur per talem cibum, Volens autē ostendere eis, quod sicut deus nihil ignoret quod in cordibus ipso- rum, dicit: Hoc uos offendit: Si igitur uideritis ascendentem in cœlū me, qui uideor uobis esse filius hominis, ubi erā prius sicut deus. Nam ipse ascendit ut homo, ubi erat prius ut deus. Hoc autem dixit, ut abducat eos ab opinione, quia putabāt eum filium esse Ioseph, Nam qui credit quod in cœlo erat prius, omnino credet eum neq; Ioseph esse filium, sed dei, & fidem habebit ijs quæ ab eo dicuntur. Quum autē audieris, quod filius hominis erat in cœlo prius: ne putes quod ex cœlo descenderit corpus, ut Marcellus & Apollinarius hæresiarchæ delirarunt: sed quia unus & idem erat filius hominis & deus uerbum, dicitur, sicut diximus, ascendere ut homo, ubi erat prius ut deus.

Spiritus est qui uiuificat, caro nō prodest quicquam. Verba quæ ego loquor uobis, spiritus & uita sunt. Sed sunt quidam ex uobis, qui non credunt. Nouerat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes, & quis proditorus esset ipsum. Quoniā (ut sæpe diximus) carnaliter exponentes ea quæ dicebantur à Christo, offende- bantur, dicit quod spiritualiter intelligenda sunt ea quæ dicuntur à me: hoc est prodesse. Caro autem, hoc est carnaliter illa exponere, nihil prodest, sed offendiculi occasio fit. Sic igitur illi qui carnaliter audiebant quæ à Christo dicebantur, offende- bantur. Subdit igitur: Verba quæ ego loquor, spiritus sunt, hoc est, spiritualia sunt: & uita, nihil carnale habentia, & uitam æternam. Ostendens autem deitatis esse dignitatē, reuelare quæ occulta sunt, dicit ad eos: Sunt quidam ex uobis, qui non credūt. Dicens autem, quidā, discipulos excepit. Et Euangelista uolens ostendere, quod ab initio mūdi omnia cognouerit, dicit: Ab initio nouerat Iesus, qui essent non credentes. Insuper & proditoris malitiam indicat, quo certe monstrabatur deitas, Nam propheta inquit de deo: Qui sciebat omnia priusquā ipsa fierent.

Et dicebat: Propterea dixi uobis, quod nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datū à patre meo. Ex eo tempore multi discipulorum eius desciuerunt, eo relicto, nec ampli- us cū illo ambulabāt. Dixit ergo Iesus ad discipulos: Num & uos uultis abire? Sæpe diximus, quando audieris quod pater dat fidem in filium, ne existimes, quod alijs bene- faciat pater, quos segreget, alijs autem non: hoc enim iniuste agētis esset: sed illis bene- facere puta patrem, & illis dare donum fidei, quibus cooperatur electio & uoluntas. Nam qui à uoluntate non adiuuatur, etiam si à deo assumitur, non percipit utilitatem. ut exempli gratia quid dicā: Omnibus dat deus, sed hoc quidam & sumunt & utuntur bene eo quod datur, & custodientes illud, ostendunt dei donum. Quidam autem re- cipiunt, sed ea quæ dantur disperdunt, ita ut nihil accepisse uideantur. Quando igitur dicit Euangelista, nisi fuerit alicui datum à patre, non poterit uenire ad filium: hoc dicit, ille uenit ad filium cui daturus est pater, hoc est, à quo custoditum fuerit donum à deo quod illi datum est. Abierunt igitur multi discipuli retrorsum, hoc est, diuiserunt se à magistro, & progressi sunt non proficientes, sed retrorsum, hoc est, in incredulitatem.

1. Corinth. 6.

Nam reuera qui seipsum à Christo diuidit, retrorsum uadit: qui autem, secundum Paulum, adharet domino, semper se extendit ad anteriora. Ipse autem ostendens, quod nullius egeat uel ministerij, uel curæ, quod sibi impendebant, dicit eis: Num & uos uultis abire? Quare autem non magis laudauit duodecim, quod non cum alijs amissi fuerunt: partim, quia seruabat dignitatem doctori conuenientem: partim, quia hoc modo magis attrahi poterat. Nam si quidem laudasset, forte passi essent humanum quiddam, factique arrogantes, exultassent se illi gratificari propter comitacionem. Per hoc autem quod demonstrauit eis, se nullius indigere comitatu, magis potuit eos continere, eo quod beneficium potius accipiant quam præstent, & accipiant magis quam dent. Et considera quam prudenter dixerit: non dixit enim, abite, hoc enim repellentis fuisset: sed interrogauit, num uultis abire? quo uerbo faciebat eis liberum, sequeretur nec ne: & demonstrabat, quod nollet eos reuerentia erga se comitari se, sed ut scirent beneficium esse quod se sequantur.

Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quod tu es Christus filius dei uiui. Respondit eis Iesus: Nonne ego uos duodecim elegi, & ex uobis unus diabolus est? Dicebat autem de Iuda Simonis Iscariota. Hic enim erat proditorum eum, quum esset unus ex duodecim. Petrus quum esset amator fratrum, pro toto choro respondet. Non enim dixit, Domine ad quem ibo? & cognoui, & credidi sed, ad quem ibimus? &c. Vitæ autem æternæ uerba habere dominum dicit, quia audiuerat eum dicentem: Eum qui credit in me, resuscitabo, & habebit uitam æternam. Iam enim illi resurrectionem receperant & omnem doctrinam: & audientes alios non uerba offenderant, sed attendendi negligentia & ignauia, imprudentiaque. Nam hi duodecim eadem audierunt, nec tamen sunt offensi, sed manserunt. Quid igitur Christus? nunquid laudat Petrum, sicut alio loco fecit? Minime, ut ne uideretur blandiri illi quod apud se maneret. Sed quid dixit ad Petrum? Ego quidem uos elegi duodecim. Veruntamen neque uos omnes estis electi, ne digni, sed unus ex uobis diabolus est. Hoc autem bifariam est intelligendum: uel enim, qui & nunc mea omnia calumniatur, & nihil illorum recipit: uel quia calumniaturus est me. Etenim re ipsa talis apparuit Iudas, calumniatus apud Iudæos dominum, & mysteria eius illis asserens, sicut & Dauid de ipso dicit: Egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum. Dicit autem hæc ad Petrum dominus, emendans eum: quia enim dixerat Petrus, & cognouimus, & credidimus. Ne hoc putes, inquit: non enim omnes estis fideles; neque omnes me cognouistis. Vide autem, quomodo antea dominus proditoris malitiam repellens & refrenans hæc dicit. Sciens quidem, quod nihil profuturus esset, nihilominus tamen quod suum erat faciens, neque illum manifestauit, neque omnino occultum esse se permisit. Illud quidem, ut ne impudentior & contentiosior fieret: hoc autem ut ne licenter facinus patraret, occultum illud putans. Ex illo autem & hoc discimus, quod non coactione & ui quadam facere meliores consueuerit deus, neque eius electio cogat uoluntatem nostram, quum sit mala, ut fiat bona: sed electio quidem sit à deo, qui adhortatur nos ad bonum, & suam nobis impartit bonitatem. In mente autem nostra & uoluntate situm est saluari, & digne ad electionem ambulare: uel è diuerso. Admirare autem quod diabolus intantum infestus est, ut potuerit etiam unum ex duodecim abripere, qui suscitabant mortuos, & faciebant miracula, & fruebantur spirituali & uiuifica doctrina domini. Et ubi posthac salutis spes nobis, qui sponte à iuuentute nos ipsos malitiæ mancipamus? Ideo & Euangelista quasi admirans dixit: Quum esset unus ex duodecim. Quamuis enim, inquit, esset à sancto illo choro, attamen mala sua uoluntate indignus inuentus est. Ita homo animal est suapte natura uertibile. Valeant igitur posthac Manichæi. Non enim à natura sumus mali, alioquin omnia operaretur in nobis malitia. Nunc autem non semper erat Iudas malus, sed fuit etiam aliquando sanctæ uoluntatis. Igitur mala & nascuntur, & crescunt.